

RENATVS VGLIONE

S. F. TERTVLLIANI SINGVLARIBVS DOTIBVS
SPLENDENS LATINITAS

ORATIO ROMAE HABITA
IN CVRIA RIARIA
DIE XXVII, M. NOV., A. MCMLXXVII
(Roma, Palazzo della Cancelleria Apostolica)

S. F. TERTVLLIANI SINGVLARIBVS DOTIBVS SPLENDENS LATINITAS

*Eminentissimi S. R. E. Cardinales,
Excellentissimi Sacrorum Antistites,
Praeclari, qui adestis, Latinae linguae cultores,*

Materia, ad quam trepidus, cum tantis viris doctis impar ingenium meum sentiam, humanitate attamen veniaque vestra fisus, sum aggressurus, minime quidem incongruens mihi esse videtur, aut extranea festo huic conventui, ubi vicesimus quintus annus expletus recolitur, ex quo hi Commentarii nostri, *Latinitas inscripti*, coepti sunt edi, ad linguam Latinam tuendam, excolendam, provehendam.

Loquemur enim de Tertulliano, diu « patre » habito sermonis Latini Christiani, « qui a lingua manans ethnicorum — ut verbis utar clarissimi Caroli Egger — novam vim hausit e religione, nova vocabula induxit, novas rationes res significanter enuntiandi inventit, novo animi ardore est inflammatus. Qui quidem per multa saecula sermo fuit communis, usque ad tempora recentiora, nec nunc plane interiit ».¹

Non locus hic est ut de hac Tertulliana paternitate edisseramus, cum iam multi docti viri, praesertim scholae illius Nederländicae seu Noviomagensis nuncupatae, eam vehementer firmisque oppugnarint argumentis.

Re quidem vera eam propugnantes nullam habuerunt rationem quantum in Tertulliano potuissent pristinarum congregationum Christianarum sermo veteresque Sacrorum Bibliorum versiones. In quibus permulta iam voces deprehenduntur, quas antea a Tertulliano inductas vel accommodatas arbitrabantur.

Profecto Latinum Christianorum sermonem is ad litterarum amplitudinem decusque produxit. Ne sit sane dignus qui huius sermonis pater appelletur, quis tamen neget Nostrum Christianam Latitudinem, etiam tum *pipiantem*² — ut hapax utar legomeno Tertulliano — susceptam, ad uberiorem provexisse maturitatem?

¹ C. EGGER, *De Romano sermone promovendo ...*, in *Latinitas*, mense Mart., a. MCMLXXVII, p. 15.

² Monog. 16, 5: cf. H. HOPPE, *Beiträge zur Sprache und Kritik Tertullians*, Lund 1932, p. 147.

Primus inter Latinos theologicam rationem compositum et constituit, Romanam linguam flectens ad novas novae fidei cogitationes, notiones, necessitates denique certas ac peculiares expromendas.

Iuridica disciplina plane eruditique imbutus, sententiam suam aperit ac definit verbis usus (veluti *trinitas, substantia, persona*) formulans (ut, ex. gr., *una substantia, tres personae; distinctio non divisio*) a Christianitate occidentali postea receptis. Apud eundem principem obtinet locum trinitaria doctrina, christologica et ecclesiologica: primus Ecclesiam matris appellatione vocat; in opusculo *De praescriptione haereticorum* inscripto, disputatio de Scripturarum proprietate materiem ei praebet has Romanae Ecclesiae amplissimas laudes praedicandi: « Ista quam felix Ecclesia cui totam doctrinam apostoli cum sanguine suo profuderunt, ubi Petrus passioni dominicae adaequatur, ubi Paulus Iohannis exitu coronatur ... Videamus quid didicerit, quid docuerit: ... unum Deum Dominum novit, creatorem universitatis, et Christum Iesum ex virginе Maria filium Dei creatoris, et carnis resurrectionem, legem et prophetas cum evangelicis et apostolicis litteris miscet, inde potat fidem; eam aqua signat, sancto Spiritu vestit, eucharistia pascit, martyrium exhortatur, et ita adversus hanc institutionem neminem recipit ».³

* * *

At, ne diutius morer, transeamus ad Nostri scribendi genus. Quod quidem redolet magnam eius animi discordiam. « Vir ardens », ex Hieronymi definitione, semper in acie, non vitavit Tertullianus certamina, quin etiam in gravia discrimina se obtendere maluit, atque adeo adversariis suis saepius fuit durus, dirus, insuavis, multiformi sermone usus, acutis et argutis sententiis Italiacoque aceto referto. Ipse, etsi nolens, hanc sui verissimam effigiem reliquit, cum, de prima Sancti Pauli ad Corinthios epistula scribens, eam affirmavit « non atramento, sed felle conscriptam, tumentem, indignantem, comminantem ... ».⁴ Haud raro Tertullianus a se gravior discrepat: invitus infestusque ethnicae disciplinae, ethnica quidem institutione iuridica, philosophica, rhetorica is perpetuo nititur in navanda sua opera; infensus adversus omnibus haereticis, haec-

³ *Praescr. haer.* 36, 3-5.

⁴ *Pud.* 14, 4.

reticam doctrinam amplecti non dubitat. Quae animi discrepantia in stilo quoque eius deprehenditur, cum ipse indulgeat tum effusis, numerosis aptisque comprehensionibus, e genere ampio, fluenti, concinno, quod « Ciceronianum imperiale » appellant, tum orationi minutae, concisae, praefractae, e genere abrupto et incondito, per brevibus disiunctisque sententiis in unum denique confluentibus, more Sallustii, Senecae, Taciti et Apulei.

Quam propter orationis contractionem sententiarumque crebritatem, licet ei vividis verbis novam cogitationem totamve argumentationem enuntiare, adeo ut saepius apud eundem « quot paene verba tot sententiae » sint,⁵ ut illis utar verbis Vincentii Lerinensis. Haec autem brevitas non numquam obscura fit: quod eum insimularunt Lactantius (« Tertullianus fuit omni genere litterarum peritus, sed in eloquendo parum facilis et minus comptus et multum obscurus fuit »⁶) et Hieronymus (« Tertullianus creber est in sententiis, sed difficilis in loquendo »⁷).

Is sui temporis litterarum consuetudine innititur, qui elegantis orationis modos, iam penes Graecos a Gorgia Isocrate que constitutos, egregie novit, veluti verborum aptam et exaequatam dispositionem, nec non *anaphoras* et *epiphoras*, *homoeopota* et *homoeoteleuta*, *allitterationes* et *polyptota*, *clausulas* et *an-nominationes*: « polyphoniam quandam verborum — ut scripsit Antonius Quacquarelli — qua oratio metro soluta metrum colorisque poeticum obtinet ».⁸ Neque illud quidem obliviscamur Tertullianum rhetorem esse ad Christi fidem conversum, cuius scripta ad lectorem convincendum semper intendant.

Qua declamandi arte cuncta eius opera penetrantur. Sed haec potius perpendantur quae scribendi rationem produnt Nostri Auctoris:

« cui et sermo insit pronuntianti,
et ratio adsit disponenti,
et virtus praesit perficienti » (*Apol.* 21, 11):
tricolon, anaphor., allitterat., homoeotel. b b.

⁵ *Common.* 18, 24.

⁶ *Div. instit.* V 1, 23.

⁷ *Ep.* 58, 10.

⁸ Q. S. F. TERTULLIANI, *Ad Scapulam*, Proleg., text. crit., comment., Romae 1957, p. 31.

« si fruges nescio quod aurae latens vitium
 in flore praecipitat,
 in germine exanimat,
 in pubertate convulverat » (*ibid.* 22, 5):
tricolon, anaph., climax, homoeoptoton.

« pro meritis cuiusque pensetur,
 dignis offeratur,
 indignis denegetur,
 ingratis auferatur,
 proinde omnibus aemulis vindicetur » (*Marc.* II 13, 1):
homoeotel. a b a b a.

« si qui velit de Deo inquirere,
 et inquisito invenire,
 et invento credere,
 et credito deseruire » (*Apol.* 18, 1):
anaph., polypt., allitter., homoeotel. a b a b.

« Quis mali extraneus, nisi qui et inimicus?
 quis inimicus, nisi qui et expugnator?
 quis expugnator, nisi qui et punitor? » (*Marc.* II 13, 4):
anaph., reduplicatio.

« Praeter haec depositum non abnegamus,
 matrimonium nullius adulteramus,
 pupillos pie tractamus,
 indigentibus refrigeramus » (*Scap.* 4, 7):
allitter., homoeoteleuton.

« tamen numquam Albiniani,
 nec Nigriani, vel Cassiani
 inveniri potuerunt Christiani » (*ibid.* 2, 5):
homoeoteleuta.

« multicolor et discolor et versicolor » (*Pall.* 3, 1):
homoeoteleuta.

« sordent, silent, stupent cuncta » (*Res.* 12, 1):
allitteratio.

« Sibylla veri vera vates » (*Nat.* II 12, 35):
polyptoton, allitteratio.

Conferatur denique haec amplissima comprehensio, ex opere
De anima inscripto:

« Omnia iam pervia,
 omnia nota,
 omnia negotiosa, (*tricolon, anaph., allitter.*)
 solitudines famosas retro fundi amoenissimi obliteraverunt,
 silvas arva domuerunt,
 feras pecora fugaverunt, (*allitter., homoeotel.*)
 harenae seruntur,
 saxa panguntur,
 paludes eliquantur, (*tricolon, homoeotel. a a*)
 tantae urbes quantae non casae quondam.
 Iam nec insulae horrent,
 nec scopuli terrent; (*anaph., homoeoptoton*)
 ubique domus,
 ubique populus,
 ubique res publica,
 ubique vita »⁹ (*tetracolon, anaph.*).

Inter has rhetoricas figuras, quas supra illustravimus, praeci-
 puum occupat locum *antithesis*, quae — ut annotavit Christina
 Mohrmann¹⁰ — « tam immodice et aliquando fastidiose ab eo ada-
 mata est, ut naturalis eius norma ratioque esse videatur ». Qua
 saepe saepiusque utitur, veluti in exordio libelli *De monogamia*, ubi
 exaequatum contrapositis membris schema magnam inter « haere-
 ticos » marcionitas et « psychicos » catholicos contentionem reddit
 ac refert: « Haeretici nuptias auferunt, psychici ingerunt. Illi nec
 semel, isti non semel nubunt. Quid agis, lex creatoris? Inter alienos
 spadones et aurigas tuos tantumdem quereris de domestico officio
 quantum de fastidio extraneo. Proinde et te laedunt qui abutuntur,
 quemadmodum qui non utuntur. Verum neque continentia eiusmodi
 laudanda, quia haeretica est, neque licentia defendenda, quia psy-
 chica est ».¹¹ Vel in opusculo, cui *De paenitentia* index est, cum
exomologesis seu publicae confessionis virtutes collaudantur: « Cum
 igitur provolvit hominem, magis relevat; cum squalidum facit,

⁹ An. 30, 3.

¹⁰ *Observations sur la langue et le style de Tertullien*, in *Etudes sur le latin des Chrétiens*, II, Romae 1961, p. 244.

¹¹ *Monog.* 1, 1.

magis mundatum reddit; cum accusat, excusat; cum condemnat, absolvit: in quantum non pepercenis tibi, in tantum tibi Deus, crede, parcer ».¹² En quam callido verborum delectu et dispositione Praxeas effingitur: « Duo negotia diaboli Praxeas Romae procuravit: prophetiam expulit et haeresin intulit, Paracletum fugavit et Patrem crucifixit »,¹³ vel haereticus Hermogenes: « pingit inlicite, nubit adsidue, legem Dei in libidinem defendit, in artem contemnit, bis falsarius, et cauterio et stilo, totus adulter, et praedicatio-
nis et carnis ».¹⁴

Interdum attamen non est infitiandum eundem in ieunas verbo-
rum concertationes delabi, huius generis: « ut homines nolint scire
pro certo, quod se nescire pro certo sciunt »,¹⁵ vel « apud (*Christum*)
tam miles est paganus fidelis, quam paganus est miles fidelis ».¹⁶
Sicuti postea penes Augustinum, *antithesis* alias speciem senten-
tiae popularis praebet: « Fiducia Christianorum resurrectio mor-
tuorum »,¹⁷ « Semen est sanguis Christianorum »,¹⁸ « Fiunt, non
nascuntur Christiani »;¹⁹ alias speciem *annominationis*: « canales
non odoro, cancellos non adoro; subsellia non contundo, iura non
conturbo » (*Pall.* 5, 4); « exsultat et insultat » (*Apol.* 49, 4); « ad
lenonem damnandam potius quam ad leonem » (*ibid.* 50, 12); « ratio
naturalis et natura rationalis » (*An.* 43, 12); « innixa et innexa »
(*ibid.* 19, 4); « ut Paracletum restitutorem potius sentias quam
institutorem » (*Monog.* 4, 1); « iuncturus separationem atque si se-
parasset coniunctionem » (*ibid.* 9, 2); « nullum criminis nomen
exstat, nisi nominis crimen est » (*Nat.* I 3, 2); « in hoc nomen et
numen » (*ibid.* II 13, 2); aliaque eiusdem generis complura.

* * *

Sed praesertim in verborum delectu Tertullianus ingenium et
impotentiam suam protulit maximam, qua qui pater sermonis
Latini Christiani appellaretur meruit. Ut probe scimus, sermo
Latinus mature visus est verborum inopia laborare: Lucretius te-

¹² *Paen.* 9, 6.

¹³ *Prax.* 1, 5.

¹⁴ *Hermog.* 1, 2.

¹⁵ *Apol.* 2, 18 (cf. quoque *Nat.* I 3, 3).

¹⁶ *Cor.* 11, 5.

¹⁷ *Res.* 1, 1.

¹⁸ *Apol.* 50, 13.

¹⁹ *Ibid.* 18, 4.

stis, et Cicero, ipseque Horatius, qui cum nova quaedam expromere vellet, aperte dixit: « Licuit, semperque licebit signatum praesente nota producere nomen ».²⁰ Tertullianus autem tali verborum inopia laboravit, necessitate, scilicet, exprimendi antiqua Romanorum lingua novas novae religionis rationes rerumque mutationes. Quam ob rem is large effuseque e plebeio sermone hausit vocabula, verba novavit quam qui maxime post Tacitum, novas veteribus vocibus significaciones addixit, veluti *sacramento*, *disciplinae*, *regulae*, *saeculo*, *aevo*, *gratiae*, Graecanica nomina copiose mutuatus est, ut *apostolus*, *catechumenus*, *diabolus*, *diaconus*, *episcopus*, *evangelium*, *eucharistia*, *haereticus*, *presbyter*, verbis ad iuris scientiam spectantibus frequenter est usus, ut *census*, *forma*, *causa*, *praeiudicium*, *praescriptio*, *ratio*, *reatus*, ita iuridicam suam institutionem ostendens, « quae quidem tantum in Tertulliani orationem momentum habet, ut eius elocutio, etsi speciosa, numquam in ambiguitatem aut in redundantiam delabatur. Hac de causa verba apud eum semper liquidos sensus atque distinctos habent ».²¹ Quod attinet ad « Graecismos » quos appellant, Tertullianus de nro demonstrat illam animi sui discrepantiam quam supra memoravimus, quippe qui eos tum profuse adhibeat tum omnino evitet, praeoptans, ex. gr., verbum *tinguere* Graecanico *baptizare*, *sacramentum* voci *mysterio*, etc. A quibusdam est denotata²² frequentia, iam penes Tacitum testata, vocabulorum in *-tor* et *-trix* desinentium, i. e. *nominum agentis*, ut *adorator*, *animator*, *annuntiator*, *consecrator*, *illuminator*, *medicator*, *permeator*, *plagiator*, *plasmator*, *praeparator*, *salvator*, *reparator*, *sanctificator*, etc.

Quam verborum commutationem radicus factam Christina Mohrmann multique alii viri docti (Schrijnen, Svennung, Loefstedt) pluribus operibus attente perspexerunt ac perpenderunt, aequo Henrico Hoppe novorum Tertulliani verborum indicem apparandum diligenter curavit, ex quo fere mille nova verba in operibus eius inesse accipimus. Illud denique mirum est quod in operibus tantum IV saeculi apparent multa eius verba nova: nimis quidem nova a Tertullianeae aetatis scriptoribus habita.

²⁰ *Ars poet.* 58-59.

²¹ Chr. MOHRMANN, *op. laud.*, p. 243.

²² P. MONCEAUX (*Histoire littéraire de l'Afrique chrétienne*, I, Paris 1901, p. 447), H. KOCH (Tertullianus, in Pauly-Wissowa V, A₁, c. 829), Chr. MOHRMANN (*op. mem.*, p. 239).

* * *

Haud minus novum Auctor Noster se praebet in re morphologica atque syntactica, ubi crebrae sententiae vulgaris sermonis formam ac modos proferunt, popularium coetuum praesentiam ac pondus denuntiantes ob novae religionis naturam necessario inducta, quare haec legimus ac similia: « apostolus *dicit quod* sapere secundum carnem mors sit » (*Exh. cast.* 10, 5), « si Deus *videt quoniam* propter ipsum feci, pariter *videt quoniam* ... nolui » (*Idol.* 22, 3), « *facit eam adulterari* » (*Monog.* 9, 3), « *dedit nosse* » (*Test. an.* 5, 2), « etiam filius Dei *mori habuit* » (*C. fem.* I 1, 2), « Paracletus multa *habens edocere* » (*Monog.* 2, 4), « *magis honorem refert* » (*ibid.* 1, 2), « ecce *magis proximum* praeiudicium » (*Idol.* 11, 5), aliaque permulta.

Praeterea non nullae e Graeco sermone locutiones pendent, huius generis: « non *capit* (i. e. ἐνδέχεται) utique *videri Deus* » (*Nat.* II 3, 5), « nihil *habens* (i. e. ἔχων) *dicere* » (*Test. an.* 6, 5), « *quod fieri habebat* (i. e. ἔμελλε) » (*Marc.* III 22, 6), « *quale est* (τι ἔστι) ut opus Dei cessaverit? » (*Virg. vel.* 1, 4), « maluit *evasisse* (*infinitus perfectus vi aoristi*) » (*Fug.* 12, 7): sed haec insolens cum Graecis modis congruentia et spiritum refert novae societatis diversas diversarum gentium artes loquendi in unum redigentem.

Neque desunt semiticae quaedam inflexiones, Sacrorum Bibliorum exemplum testantes: *praecipuus*, ad quod attinet, est usus genitivi pro adiectivo respondenti, veluti, ex. gr., « *lasciviae* (i. e. *lasciva*) *ingenia* » (*Apol.* 15, 1), « *viros iustitiae* (i. e. *iustos*) » (*ibid.* 18, 2).

* * *

Tertullianus tali ac tanto ardore studioque fidem exorientem defendeat, ut Christiani aetate posteriores quasi ei haeresim condonarint, neque eius opera legere, exscribere, imitari desierint. Multos vir traxit: Cyprianum, eum « *magistrum* » appellantem,²³ Vincentium Lerinensem, eundem « *apud Latinos nostrorum omnium principem* »²⁴ ducentem, usque ad Iacobum Benignum Bosuet, qui ei « *vim rationemque rapientem* »²⁵ agnovit.

Ut concludamus, Tertulliano haec quidem plene planeque ac-

²³ HIER., *De viris illustribus*, 53; *Ep.* 84, 2.

²⁴ Common. 18, 24.

²⁵ *Avertissements aux Protestants*, 6^e avert., XCV (*Oeuvres complètes*, Bar-le-Duc, 1862, t. 5, p. 174).

commodanda videntur quae humanissimus Iosephus Del Ton, qua solet in edisserendo subtilitate, de Hieronymo dixit:²⁶ « procul dubio is fuit linguae Latinae dilatator eximus, in sentiendo, in cogitando, in scribendo tot ac tantis exornatus dotibus, ut aliena non calcet vestigia, sed quasi quidam gigas suam solus ineat viam, numquam non ipse », Tertullianus scilicet.

RENATVS VGLIONE

²⁶ I. DEL TON, S. *Hieronymus novus novae Latinitatis aurifex*, in *Latinitas*, mense Nov., a. MCMLXXVI, p. 201.